Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1121
Quelle:
Copyright:

nium *Septem* Librorum hujus Operis, quantum quidem, dum hic Codex exſcriberetur, inde in Eruditorum manibus erat. Norunt hi hodie, priorem *Epitomes* Partem jam *Hieronymi* tempore, qui in *Cat.* c. 80. *Epitomen* hanc *Librum acephalum* adpellat, latentem ſub hujus Sec. initium a *Cph. Matth. Pfaffio* non quidem, ut *Oudino* viſum, *Taurinenſi* Bibliothecario, ſed in Cod. *Taurinenſi* Reg. detectam, *Pariſiisque* 1712. 8. typis editam fuiſſe. Itaque in *Cod.* noſtro cum *Lactantii* Edit. *Pariſ.* 1748. T. II. p. 43. 4. comparato initium eſt a C. LVI. portione illa, quam detexerat *Pfaffius*, *Capp.* LV. conſtante, quae diviſio ſerius adriſit, cum Codices antiqui absque diviſione decurrant. Orditur ergo Noſter: *Nam ſi iuſticia eſt veri dei cultus* &c. Textus mendis, quin et ſpatiolis vacuis ad voces ſubplendas non caret. C. 71. verbis illis: *iuſtos homines ac dicatos deo — perſequetur*, interjicit: *duobus et quadraginta menſibus*; quod nullibi notatum reperio. Ad calcem habetur rubro: *Ego henricus de brugis tranſcripſi 1451. Ego autem Carolus podocatharus cyprius auſcultante Georgio boemio emendaui pro Guarini Veron. exemplari opera ſuperſcripta.* Cenſeo *pro exemplari* idem eſſe ac *ad exemplar*; unde *Guarino* ſaltem, quod *Lactantium* adtinet, non optime proviſum fuit.

CCCCLVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 54. f. min. magnifice perſcriptus et coloribus diſtinctus hoc Rubro gaudet: *Annicii. Manlii. Seuerini. boecii. v. c. et ill. et conſul. ordinarii. patricii. Incipit liber quomodo trinitas unus deus ac non tres dii ad quintum. aurelium. memmium. ſimachum et ill. v. c. et con. ordinarium ac patricium ſocerum.* De ſacris chriſtiani hujus Philoſophi opuſculis non ſemel quidem utroque hoc *Vol.* egi, invitat tamen Exempli hujus aetas et ſplendor, ut quaedam etiam ex eo delibem. Init Tractatus I. *Inueſtigatam diutiſſime queſtionem in quantum noſtrę mentis* &c. ut edit. *Baſil.* 1546. p. 957. f. et *Lugd. Bat.* 1671. p. 269. 8. Si cum hac editione compares, vel in *Prooemio* hae lectiones non ſpernendae occurrunt: *ſtilo cogitata* pro *excogitata. Spectare ſententiam* pro *ſperare. Tractationibus* pro *tractatibus. Sane tantum a nobis* pro *ſed nunc tantum. Via rationis aſcendere* pro *accedere. Tantum facilior* pro *tam facilior.* Totum Opuſculum et Gloſſas inter lineas, et egregia Scholia per margines habet, ſi primum excipias, quo *Annicius* infeliciter ab *Anno* ducitur, *eo quod optabant parentes annoſum fieri.* Mirum certe, cum Scholiaſtes ceterum graecis literis tinctus videatur. R. 2126

Fol. 12. Alterum Opuſculum: *ad iohannem diaconum cardinalem romanę eccleſię utrum pater et filius et ſpiritus ſanctus de diuinita-*